Handschrift

Seite 82v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8405
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



e adactus Iste inter uxorum et concubinarum turbas nocturnum producens co-
vivium crapulatus et ebrius eadem nocte est interfectus Josephus quidem
ita narrat non post multum tempus et balthasar captus est et ipsa
civitas Hic autem sic scriptum est eadem nocte interfectus est balthasar rex
chaldeus et darius medus successit in regnum Dum premissa nar-
ratione descriptura et denarratione eius de interpretatione eius subiungit
Non post multum tempus captus est videtur non dicere quod interfectus
sit eadem nocte Quod si hystorie contrarie sunt in multis namque discre-
pat multitudo scriptorum scolarium Hinc sine dubio magis est cre-
dendum qui presens interfuit qui scripturam legit et interpretatus est
qui inde purpuram et torquem auream circa collum accepit qui tercius
in regno princeps predicatus est et eum tanto honore cum tali princi-
patu de regno ad regnum de chaldeis victis translatus est ad victo-
riam medorum atque persarum fidelis interpres notum et insignem por-
tans veritatis triumphum Divisum est inquit regnum tuum Subaudi-
tur contra te quia facta coniuratione ab hiis quibus imperare debueras
circumdatus es obsidione moriturus ac nocte in crapula et ebrietate
et datum est medis et persis iuxta predicationem eius qui ante te lau-
dans et magnificans viventem in sempiternum vie inquit eius iuste
et gradientes in superbia potest humiliare Dominatur quoque in regno hominum
et cuicumque voluit dat illud Sequitur capitulum .vi.

Idem quod scriptum et dictum tuum est contra unum regnum babilonis et de omnibus regnis mundi debere intelligi.

Latius quam adhuc dictum sit patet scriptura hec Mane the-
thel phares Similiter namque decretis regnis sentiendum
de regno persarum et medorum de regno macedonum sive grecorum
de regno romanorum vicit quod singula horum iam deus dimensus est et
singula suis temporibus completurus esset quod singula deberet
appendere in statera Iudiciumque divisionis dare pro eo quod ea minus inve-
niret habere Verum etiam adhuc parum est considerare in partibus
quod de toto si predicetur plus habet admirationis et commodi et terroris
amplius Regna illa partes sunt ut fuerunt totum autem est omne
seculum universitas creaturarum earum dumtaxat que rationales sunt scilicet
angelorum et hominum de quibus domini creatoris est et erit iudicium Igitur
ad summum recurrentes proponamus mundum et mundi principem dyabolum
cuius typum gessit assur et in medis atque persis aman superbissimus
in grecis Anthiochus et in romanis vero malorum imperatorum impera